



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 2. Passio avidè à Christo desiderata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ut nos splendore immortalitatis indueret. Considera mirum duellum Christi, & diaboli. Stat hostis acerrimus, mucronem intemat; addicit morti. Christus nudum latus, nudum caput, ac corpus. Viderat id Isaias 51. 9. *Consurge, induere fortitudinem brachium Domini.* Quid laceris, cruentisque vestibus cum pralio? At Dux Christus pro aereo thorace sanguineam chlamydem; pro ferreis ocreis, manicisque, ferreos clavos; pro galea spinas; pro militum praesidio solitudinem; pro tubarum clangore silentium, & patientiam, cum hoste congressurus obtendit. Verum nullus aequè potens thorax, ac cruenta caro; nulla praestantior fortitudo contra hostem, quam lacerati corporis infirmitas: quam ut cernit diabolus, debilitatur, & frangitur. Cornelius hic.

#### Ex Novo.

*Facto vespere &c.* Matth. 16. 2. Per vespem, in quo caelum rubicundum est, Passio Christi significatur, proprio sanguine rubicunda. Matutina serenitas significat gaudium Resurrectionis. Hugo Card. hic.

*Tuam ipsius animam petransibit gladius.* Luc. 2. 35. Gladius Christi Passio ejus fuit; quâ antiquus hostis transfixus succubuit. S. Honorius l. in Purif. B. V.

*Tergit fimbriam vestimenti ejus.* Luc. 8. 44. Vestimentum Christi est caro ejus. Il. 63. 1. *quis est iste tinctis vestibus.* Fimbria, quæ est sinus vestimenti, est Passio Christi. Tangere ergo fimbriam vestimenti Christi, est credere, & imitari, Passionem Christi: & ex hoc tactu est omnis peccati curatio. Hugo Card. hic.

*Ego sum vitis, vos palmites.* Joan. 15. 5. Cur Christus D. viti se comparat? ibat ad Passionem, & mortem, quam bene vitis per uvas significat. Sicut enim è calcata uva sub torculari exprimitur vinum; sic ex calcato Christo expressus sanguis pretiosus, quò Mundus redemptus. Sylveira hic q. 1.

*Pedes ejus similes aurichalco.* Apoc. 1. 15. Dion Carth. per pedes accipit extremos annos vitæ Christi, quibus passus est, & crucifixus. Pedes Christi, ait Rupertus, dicuntur similes aurichalco: quia sicut hoc multis ignium impedijs ex ære producitur ad auri colorem; ita & illa Humanitas per multas tribulationes Passionis, & mortis, perducta est ad gloriam Majestatis. Cornelius hic.

*Signatum sigillis septem.* Apoc. 5. 1. Seraphinus Firmanus per septem sigilla, accipit septem secreta Passionis Christi. 1. est summa impotentia in omnipotente. 2. summa poena in impatibili. 3. summa stultitia coram hominibus in Christo, qui est divina sapientia. 4. Summa paupertas in Deo divitiarum. 5. Summa ignominia in summa Majestate. 6. Summa derelictio Dei in summa cum eo unione. 7. Summa feveritas in summo amore Patris erga Filium. Cornelius hic.

#### Ex Patribus, & aliis.

Singulæ guttæ sanguinis sui, folia sunt rosæ

sanguinæ Passionis ipsius. S. Bernardus l. de Pass. D. c. 41.

Sic S. Scriptura pene ubique fidem continet Passionis Christi, ut sine illâ nullatenus intelligi possit. S. Rupertus l. 3. c. 43. in Exod.

Dicitur Passio Christi cœna: nam sicut cœna in vespere, vel in fine diei sumitur; ita in vespere, scilicet in fine Mundi passus. S. Bonaventura in Pl. 21.

Granadilla florem habet albæ rosæ perfimilem, in cujus folijs Passionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, ut corona spinea, clavi, calix, columna, vulnera, lancea. Nascitur in montibus Peruanis. Nieremberg. hist. nat. l. 14. c. 10.

#### §. II.

#### Passio avidè à Christo desiderata.

*Desiderium cordis ejus tribuisti ei.* Pl. 20.

3. Enumerat Propheta Christo D. secundam carnem, quam ingentia, quam gloriosa, collata sint. Desiderium cordis ejus fuit, sicut Luc. 22. 15. dicit: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Cassiodorus in Pl. 20.

*Erue à framea Deus animam meam.* Pl. 21. 21. Quæ est ista framea, à qua Christus liberari desiderabat? Lorinus hic possumus accipere deprecationem istam, nè vulnus lateris infligeretur. Sed cur id petit Christus à Patre scientissimus pro nobis pati, ut à lancea militis liberetur, & crucis non refugit ignominiam? quia lancea non vivus, sed post mortem erat vulnerandus; sed absque dolore. Nam sic D. Jesus pro nobis erat anxius patiendi, ut refugiat vulnus doloris expers. Ob hanc causam forsan vocat Ecclesia in hymno de passione *mucronem dirum lanceæ*; quia insensibile Christi latus perforavit. E contra *dulce lignum, dulces clavos*: quia in cruce manibus, pedibusque, transfixis Christus sensit dolorem, non lanceam. Castillo Ill. 201.

*Vade post me Sathana.* Matth. 16. 23. Quæ hæc verborum asperitas Domine? modò audivit, *beatus es Simon Barjona*; & nunc Apostolum Sathanam vocas? Modò dicebas, *tu es Petrus &c.* & nunc *scandalum*, ac diaboli organum, appellas? ac quidem Judas non increpatur, etiam vendit, occidit, cum Judæis contra te transigit. Vidisti Domine cum militibus, & armis, & fustibus, invadentem; nec dixisti, vade post me Sathana; non verbis pudorem injecisti, non rebus teruisti; quin potius ad cœpta hortatus es: *amice ad quid venisti?* opus persequere, nè facinus differas, venditionem effectu firmato. Ac quidem erga Judam talis: Petrus verò amoris præmium fert contumeliam. Planè inquit perhumanus Salvator: ubi enim ulcus est immedicabile; ibi pharmacum inutile? ubi autem curationis spes, ut sanem; sectionem adhibeo. S. Basilius Seleuc. orat. de dicto Evangelio: ecce ascendimus Jerosol. Scelus Judæ mortem crucis Christo summè desideratam præparabat; & ideo divinus amor cum eo rigorem dissimulat, & leniter agit. At ignorantia Petri

Petri mortem Christi impedire conatur, licet ex charitate. Sylveira in Matth. 16. Quomodo Judæ osculum præbuit Christo, atque *amicum* nominavit; utpote amicorum loco habens ea omnia, per quæ flagella, spinas, crucem & clavos produci, aut parari, prævideret: è contrà Petrum, alioquin amicissimum, Sathanam vocavit, qui se à supplicijs, & morte subeunda, avocare conabatur. Doultreman l. 2. c. 12. sect. 3. de amore.

*Pater mi-transseat à me calix iste?* Matth. 26. 39. Scribit Ambrosius Catharinus in vita S. Catharinae Sen. l. 2. c. 28. & 29. ipsi à Deo revelatos esse duos sensus illius orationis Christi in horto, 1. q. d. Pater mi! illico da mihi bibere calicem Passionis: illum enim avidissimè sicut. Da, ut illico patiar, & moriar. Fac ergo, ut illico transseat; ac dein à me transseat calix iste: ut per Passionem meam abolita morte, & peccato, mox redimam genus humanum; itaque ad te revertar, ut te fruatur, mi Pater! Hoc Christus optabat secundum spiritum. 2. Secundum carnem tamen optabat contrarium: nimirum *transseat*, id est, auferatur à me calix Passionis. Posterior sensus: videbat, ait illa: Christus D. multos futuros ingratos suæ Passionis, mansuros in peccatis, ac damnandos: hic erat ei summus dolor; huncque vocat suum calicem. q. d. amove à me hunc dolorem, id est, hunc numerum damnatorum! fac, ut omnes meæ Passionis ita sint participes, ut salventur. Cornelius ex Canonib. in Prophetas Minores. Eadem S. Catharina Sen. assererat divinitus edocta: Christum ab instanti suæ conceptionis portasse crucem in mente, propter excessivum desiderium, quod habebat de humana salute. Cum enim perfectissimè diligeret Deum, & proximum; videndo Deum privatum honore suo, & proximum privatum sine suo; summè cruciabatur; donec per Passionem suam; & honorem obedientiæ Deo, & salutem restitueret proximo. Hinc dicebat: quod in illis verbis, *Pater transfer calicem hunc à me*, viri perfecti non debent intelligere, sicut debiles timentes mortem; quod Salvator petierit à se mortem transferri, vel amoveri; sed, quia semper biberat à Conceptione sua, petebat, ut citò perficeretur illud, quod tantò tempore cum tanto desiderio affectabat. Adjunxit: *non mea voluntas &c.* offerens se paratum ad sustinendam dilationem desiderij sui, quantum placeret Patri. Bollandus ex vita S. Catharinae p. 2. c. 8.

*Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & precedebat illos Jesus, & stупebant.* Marci 10. 32. Et tamen Discipulis ait: Joan. 14. 12. *majora horum faciet.* Ibat Jerosolymam tradendus, flagellandus. In miraculis concedit Christus D. suos Discipulos precedere; at in cruciatibus pro nostra salute nemini cedit, sed omnes longò intervallò superat. Sylveira in Act. 20. 22. q. 8.

*Baptismo habeo baptizari &c.* Luc. 12. 50. Significatur per hujusmodi ablucionem mors ejus; in qua ablutus est propriò sanguine. *Et quomodo coarctor?* Sub admira-

tionem ponitur modus, *quomodo?* quia incredibile modò affectabat perfectionem Passionis suæ. Cajetanus hic. Non ait: quomodo, cum perficietur, arctabor? q. d. tunc non arctabor, cum perficietur. Modò desiderij patitur flammam; postea sustinebit crucis injurias: sed adeò leviùs est, patibulò dilaniari, quàm equuleò desideriorum torqueri; ut desiderans arctetur, patiens quomodo doloribus exolvatur. Naxera in Jos. 15. §. 34.

*Similiter & calicem, postquam cenavit.* Luc. 22. 20. Cur Christus calicem sanguinis sui dat nobis in cæna? S. Gregor. Nyss. hom. 6. de resurr. per ineffabilem sacrificij modum præoccupat impetum violentorum; ac sese in obligationem, & victimam, offert sacerdos simul & agnus. Ante realem crucis exhibitionem mysticam crucem, & Passionem, agebat Christus: incruentò modò præoccupat priùs agere, quæ postea cruentissimè erant operanda. Sylveira in Matth. 26. q. 34.

*Et factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis &c.* Luc. 22. 44. de quo Hildebertus in versibus de Missa: sanguineus sudor crux fuit ante crucem.

*Quod facis, fac citius.* Joan. 13. 27. O amor interminabilis! ô charitas inestimabilis! ô dilectio inscrutabilis! *Quod facis &c.* illud cupio, illud desidero, illud quero, ad hoc veni in Mundum. *Quod facis &c.* Vis me vendere Judæis? volo vendi: vis tradere? volo tradi: Vis, ut crucifigatur? volo crucifigi: vis, ut occidatur? volo occidi: hoc amo, hoc affecto: *quod facis, fac citius.* S. Bernardus l. 3. in Cæna D.

*Sitio.* Joan. 19. 28. Per calicem, quem bibiturus erat, procul dubiò Passionem significans, quam erat passurus. Nunc verò eodem calice Passionis jam exhibitò, dicit: *sitio.* q. d. quamvis Passio mea tam acerba fuerit; ut quantum ad humanitatis sensum illam declinare potuerim; tamen tua, ô homo! me charitate vincente, & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura, & majora, si necesse sit, sitio subire tormenta. S. Bernardus l. de Pass. c. 13.

*Unus militum lanceam latam ejus aperuit.* Joan. 19. 34. Cur non vivum transfigitur? ut sciremus; magis unitum cum corpore amorem patiendi, quam ipsam animam. Mors valuit efficere, ut anima separaretur à corpore, ut hoc nec videret, nec audiret &c. sed affectum patiendi ab eo non potuit separare. Sylveira in Joan. 13. q. 24.

*Pedes ejus similes aurichalco.* Apoc. 1. 15. Pannonius: quia Christi desideria sancta erant, & fortissima, ut non cederent morti; rectè ari comparantur. Sapissimè in Scriptura per pedes desideria, & affectus, significantur. Pl. 9. 16. Pl. 17. 34. Pl. 25. 12. Prov. 3. 23. Meritò ari fortissimo Christi affectus comparantur: quia ejus desideria pro nobis moriendi validissima, & constantissima, fuerunt.

Sylveira hic q. 58.